

JUSTINI FEBRONII JCti  
DE  
STATU ECCLESIAE  
ET  
LEGITIMA POTESTATE  
ROMANI PONTIFICIS  
LIBER SINGULARIS,  
AD  
REUNIENDOS DISSIDENTES  
IN RELIGIONE CHRISTIANOS  
COMPOSITUS.



---

BULLIONI  
APUD GUILLEMUM EVRARDI  
MDCCLXIV.





# CLEMENTI XIII.

## SUMMO PONTIFICI,

### PRIMO IN TERRIS CHRISTI VICARIO.

**J**unctus Cathedræ Petri , tanquam Centro Catholicæ unionis , à quo separari nunquam permisum est : motus profundo respectu erga Romanam Sedem , tanquam in Ecclesia Primam : plenus sincerâ veneratione erga eum , quem divina Providentia locavit in Apostolico throno , quemque submissè colo ut successorem Principis Apostolorum , qui Primum in universa Ecclesia divinitùs institutum , legitime tenet : de hujus Primi jure tractare præsumens , ejusdem veros terminos delineare aggredior , ultra quos quidquid suscipitur , sanctæ nostræ Religioni exitiosum esse intelligitur , tam quoad internum



# C A P U T I.

D E

## EXTERIORE FORMA REGIMINIS,

Q U A M

I N S U A + ECCLESIA C H R I S T U S  
D O M I N U S I N S T I T U I T .

§. I.

*De methodo rite interpretandi textus Sacrae Scripturae ad  
hanc materiam pertinentes*

**D**uo sunt fontes, è quibus Status Ecclesiæ eruendus ve-  
nit: scilicet *Scriptura & Traditionis*. Qui cum Ultramon-  
tanis formam monarchicam Ecclesiæ tribuunt, ij ex sa-  
crae litteris, nonnullos textus maxime Matthæi cap. XVI. v. 18.  
& Joannis cap. XXI. in rem suam trahere amant. Ut verò  
eandem sententiam etiam ex Traditione confirmant, ad varia  
SS. Patrum asserta provocant, qui ipsis videntur S. Petrum,  
& post hunc Romanum Antistitem, non solum Caput Eccle-  
siæ

A

## ADDENDA.

**C**um hujus Operis plus quam medietas prælo jam subducta esset, illudque integrum propediem in publico comparitatum erat, vir amicus, nec vulgariter eruditus, impressa intuens, non dubitavit mihi pro labore, laudando licet, ut ajebat, sine fulcepto, totam Romanæ Curiæ indignationem & vindictam augurari. An, inquit, ignoras fata *Pauli Sarpii*, & *Edmundi Richersii*? Quorum hic stylum ferreum Romanum propè vedit, ille sensit etiam. Ego reponebam: *Viri boni esse*, vigilare pro gloria Sponsæ Christi, & laborare pro reunione Christianorum; virum *fortem* decere, ut ab honesto hoc proposito ne objecto quidem discrimine & fortunæ temporalis jactura deterreatur. Insidias vitæ Fra-Pauli structas (quidquid ipse temerè suspicatus fuert) teste Pallavicino in *Apparatu ad Historiam Concilii Trid.* cap. VI. n. 2. 3. à prudentioribus & aulæ Romanæ peritis eidem aulæ non imputari, quippe quæ talibus mediis ad se ab hostibus suis liberandum non soleat uti. Fatum Richerii non tam Romanorum artibus, quam Cardinalis Richelii ambitioni tribuendum esse. Meum propositum à causa & facto binorum illorum virorum toto cœlo distare; illos fuisse osores Papatus, & inimicos Pontificum, qui Lutherum & Calvinum habuere ductores. Ego S. BERNARDUM tequi cupio, qui animo amico, & optimo fine, Summis Pontificibus multa exprobravit; *intactis genuinis Primatus juribus*, quibus etiam solidiora fundamenta substruere conor, quam passim